

prædictorum continet aliquod mysterium ordinatum ad sacramentum Eucharistiæ. Nam primus gradus & supremus disponit ad consecrationem Eucharistiæ, & est sacerdos. Secundus ad dispensationem eius, saltem sanguinis, & est Diaconatus. Tertius disponit ad oblationem materiæ Eucharistiæ consecrandæ, & est Subdiaconatus. Offert enim materiam Subdiaconus Diacono, & Diaconus sacerdoti. Unde quartus & alii disponunt ad aliquos actus remotæ, se habentes ad Eucharistiæ, & hoc vel ad accedendum devotionem in affectu, quod facit Acolitus cereos illuminando, & portando, d. cap. clericos, vel ad instruendum intellectum ad cognitionem, ad quod ordinatur Lector, vel ad repellendum homines indignos, quod facit Ostiarius, vel ad arcendum demones, ne approximent ad nocendum, & hoc pertinet ad officium Exorcistæ. Hæc Pet. de Palud. tractat. 6. de sacram. Ex his autem septem
 14 ordinibus ꝑ alii maiores, qui etiam sacri dicuntur, alii minores sunt: ordo autem sacer dicitur dupliciter: vno modo secundum se, & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit quoddam Sacramentum, 6. q. 1. cap. infames. 28. q. 1. capit. nullus. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet actum, & sic dicitur ordo sacer, qui habet aliquem actum circa aliquam rem consecratam, & sic sunt tres Ordines sacri, scilicet Presbyter, & Diaconus, qui habet actum circa corpus Christi, uel sanguinem consecratum. Et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata, & ideo eis etiam indicitur continentia. 27. dist. cap. Diaconus, & 28. dist. cap. nullum. & c. decernimus, & c. de his. Ita hos tres ordines appellat sacros cap. erubescant, dist. 32. Ita etiam tenet Turrecrem. in d. cap. erubescant. & in cap. 1. num. 14. dist. 21. Allen. art. 3. lib. 6. de sacr. ordin. De Subdiaconatu etiam loquitur text. in c. a multis, de ata. & qual. Licet primitiua Ecclesia illum Ordinem non computabat inter sacros, tempore scilicet Apostolorum, c. fin. dist. 60. An

verò in quolibet Ordine imprimatur character. Dic, quod licet S. Thom. & etiam Bonauen. dicant, circa hoc diuersas esse opiniones, tamen secundum communio-
 15 muniorem, & verio-rem ꝑ atque probabiliorem opinionem, dicendum est, quod in omnibus Ordinibus imprimatur character. Est enim character signaculum distinctiuum, & perpetuum, & hoc est in omnibus ordinibus reperire, ergo. Tū etiam, quia omne Sacramentum, in quo non imprimitur character, est iterabile, sed nullus Ordo est iterabilis, ergo in quolibet Ordine imprimitur character. Ita etiam habetur in conc. Trident. sess. 7. de sacr. can. 9. sess. 23. cap. 4. Nam cum dicat concil. Trid. quod in sacramento Ordinis character imprimitur, & omnes Ordines sunt unum sacramentum, ut infra dicetur, ergo sequitur ꝑ in omnibus ordinibus imprimatur character. In quo
 16 verò factu imprimatur. Dic, iuxta Dominum Duran. in 4. dist. 24. quod aliquorum Ordinum est tantum vnus actus, aliquorum autem plures, quorum tamē vnus est actus principalior: in Ordinibus autem, quorum est vnus actus, character imprimitur in traditione illius instrumenti pertinentis ad actum illum, Ostiario imprimitur character in traditione clauium. In ordinibus autem, quorum plures sunt actus, imprimitur character in traditione instrumenti pertinentis ad principalem actum. Ille autem est principalior, quo ordinatus ordinatur immediate ad Eucharistiæ sacramentum. Exemplum, in Sacerdote principalior actus est consecrare corpus Christi, & sanguinem, ergo in datione calicis, & patenæ imprimitur character sacerdoti, nō autem in actu secundario, quando accipit potestatem absoluedi, & ligandi. Turrecr. in cap. presbyter, dist. 23. fallit
 17 tamen in Diacono: ꝑ quia licet summus, & principalis Diaconi actus sit, ministrare sacerdoti in consecratione corporis Christi immediate super altare, tamen secundum D. Thom. Rich. & Dominum Duran. ut refert Turrecrem. in cap.